



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

340. An infamis infamia facti sit impromovibilis ad dignitates & beneficia, ejusque promotio vi solius infamiæ facti sit nulla ipso facto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

servat. Abb. in c. inquisitionis. n. 6. in majoribus criminibus majorem numerum personarum, quam in minoribus requiri ad infamiam, & multò majorem ad infamandum personas publicas, quam privatas) virorum honestorum, prudentum, & gravium (non enim est infamis, cujus fama lata est tantum apud malevolos, maledicos, pueros, mulieres vel leves personas. c. quando & qualiter. de accusat. c. in cunctis. d. 11. q. 3. Garc. loc. cit. num. 12. Sanch. opusc. l. 6. c. 3. dub. 9.) qui verisimiliter illud scire possunt ac debent, si factum est verum & divulgatum; quales ferè sunt vicini, vel multitudo eorum, quorum interest scire v. g. scholarium, Universitatis, et si hi habitent in diversis locis civitatis, respectu delicti commissi ab uno illorum, ita tamen ut si hæc multitudo sit parva, & non tanta, quæ constituat populum (v. g. decem; populus enim ad minimum decem homines requirit. c. curio. 19. q. 3. Sylv. V. populus) non sufficiat major illius pars, ut factum dicatur famosum. Suar. cit. d. 48. f. 1. n. 20. Abb. in c. vestra. de cohabit. Est itaque infamia facti ut distincta ab infamia juris, seu legali, macula quædam moralis, independenter ab omni lege humana ad ipsum factum consurgens, & pariens de operante notitiam obscuram cum vituperatione, & reprehensione, per quam in opinione hominum persona tanquam maculata censetur indigna ad actus quosdam legitimos, dignitates & munia.

2. Respondeo ad secundum: infamia juris seu macula moralis ad factum non nisi ex vi & institutione legis, sive scriptæ, sive non scriptæ, consurgens, & maculans in ordine ad effectus à lege intentos, describi potest, quòd sit à jure inducta privatio dominii ad famam legalem, nimirum ad eam famam, & opinionem laudabilem, honorabilem & claram, quam in hominibus supponunt actus legitimi, ut dignè, decenter, & validè exerceantur, adeoque & hoc dominio seu jure privati sunt, etiam delinquentes occultissimi, quibus nimirum hæc pœna infamiae juris ipso facto incurrenda statuta est v. g. Sodomitæ occultis &c. infamiam enim notantur, quos lex infamat, eo ipso quòd aliquid commiserunt. Jafon in l. cunctos populos. c. de summa Trinitate lect. 2. n. 44. Garc. c. 8. n. 17. Suar. loc. cit. n. 14. quòd autem tales delinquentes occultos non liceat diffamare extra judicium, non est inde, quòd dominii famæ sint, sed quòd illam de facto adhuc, quoad delictum occultum est, possideant, & nec latro à possessione sine injuria exturbandus sit privatâ auctoritate. Univoçè itaque non conveniunt infamia facti & juris. & differt infamia juris ab infamia facti, quòd illa non dicat opinionem alicorum, nec sit necessariò quid divulgatum, eò quòd quandoque etiam occultissimi delinquentes, ut dictum, illam incurrant. Item quòd infamia facti directè & primò privet infamiam possessione naturali famæ suæ; infamia verò juris dominio, adeoque infamia juris & facti simul privent dominio & possessione, non tantum naturali, sed & civili famæ propriæ. Ex quo effectu formali primario sequitur dein alter secundarius, qui est esse inhabilem, seu impedimentum ad actus legitimos, præcipuè Ordinum, Prælatuæ & dignitatis, propter excellentiam, honorem & sanctitatem suam requirentium ministrum, qui in hominum opinione sit claræ famæ & æstimationis commendabilis. Ita ferè Pass. n. 543. & 547.

P. Leuven. Fori Benef. Pars I.

Questio 340. An igitur infamis infamiâ facti sit ineligibilis, & inhabilis ad Prælaturas, dignitates, beneficia, officia Ecclesiastica, illiusque electio vel promotio, spectatâ solâ vi infamiae facti, sit ipso facto nulla?

1. Respondeo ad primum affirmativè. constat ex jam dictis, & sumitur ex c. accidens. de accus. c. causatum. de simonia. c. fin. de furtis. c. cum in cunctis. de elect. c. grave nimis. de prob. clem. 1. de et. & qualit.

2. Respondeo ad secundum negativè; infamia enim facti propriè sumpta, seclusâ institutione juris humani, gravat quidem personam, & obscurat, redditque indignam dignitatum & honorum, non quidem per modum legalis pœnæ, & impedimenti, sed ex natura rei seu naturali ratione, vel quantum lex naturæ, aut etiã gratia postulat (unde nec parit irregularitatem, quæ est legale impedimentum, & sæpe pœna illata à lege ob culpam. Suar. cit. d. 48. f. 1. num. 11. Filiuc. tr. 19. c. 8. n. 204. Garc. loc. cit. num. 64. Pass. num. 535. contra Sanch. opusc. l. 6. c. 3. dub. 10. num. 14. Bonac. de cens. d. 7. q. 3. p. 1. n. 2. qui tamen, ut rectè Pass. in hoc non distinguunt factum ex naturâ rei, & factum ut stans sub lege) non tamen iniqui & scelerati jure naturali incapaces sunt jurisdictionis & potestatis, adeoque eorum quantumcunque notiorum electio alîve promotio, quantum præcisè ex hac infamia facti non est irrita. Suar. loc. cit. Pass. nu. 536. quamvis tales peccent ingerendo se officiis puritatem vitæ, & morum requirentibus uti & eligentes, confirmantes, promoventes illos contra justitiam proprii officii. Tenetque hoc ipsum, etiam si delictum sit enorme & notorium notoreitate solùm facti. Garc. loc. cit. n. 47. Less. l. 2. c. 34. nu. 12. Pass. num. 568. citans plures alios, constabitque meliùs ex dicendis. q. 108.

Questio 341. An & quis dispensare possit in infamia facti?

Respondeo: hæc infamia propriè loquendo est indispensabilis, jus enim natura, & dictamen rationis indispensabile prohibet infamiam, manentem talem, hoc est, qui dignâ pœnitentia virtuosaque vita præcedentem infamiam non absterit (qua sic absterit nihil est quòd impediat amplius) promoveri ad Prælaturas & officia Ecclesiastica. Pass. n. 540. contra Barb. de off. Ep. alleg. 43. n. 30. Navar. c. 27. n. 204. Rodriq. to. 1. q. 24. n. 6. Mirand. to. 2. q. 8. a. 5. & alios docentes posse in hoc dispensare Episcopum, & consequenter etiã Prælatus regularem cum suis. Verùm hi AA. infamiam facti cum infamia legali confundunt; nam infamia respectu effectuum, quos parit ex lege positiva, in quibus quandoque dispensare potest Episcopus, est infamia legalis. Poterunt nihilominus Episcopi & Prælati regulares quandoque discernere, an infamia facti sit, vel non sit talis, ut impediat; utrum sufficienter per pœnitentiam sublata. Pass. num. 541.

Questio 342. Num infamis infamiâ juris lata sententiâ, & ipso facto incurset (suppono enim cum Barb. de off. Ep. alleg. 43. nu. 13. Garc. p. 7. c. 8. n. 17. Suar. de cens. d. 48. n. 16. Filiuc. tr. 19. c. 8. n. 209. Pass. n. 548. & aliis contra Castrop. l. 4. d. 4. p. 4. n. 4.

L

4. n. 4.